Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2437
Quelle:
Copyright:

P. I. *Sec.* I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 35.

Undecimum demum Opuſculum in *Elencho* inſcribitur: *Tractatus ffleCto genua per modum dyalogi.* Incipit *fol.* 191. p. 2. ſic: *Flecto genua mea ad patrem domini mei ihesu chriſti* &c. clauditurque: *donec intret in gaudium dei mei Qui eſt trinus et vnus* &c. Autor illius *Bonaventura* eſt, cujus *Opp.* T. VII. *edit. ſuprac.* p. 105. hac epigraphe occurrit: *Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis* &c. Habetur quidem T. VI. p. 4. *Breviloquium*, quod iisdem verbis exorditur, ſed paulo poſt deflectit. Illud hic monendum reſtat, tria prima ſupra cenſita Opuſcula in *Bibl. P. P. edit. Lugdun.* T. XXV. p. 867. comparere ſub nomine F. *Davidis de Auguſta* O. M. *Luca Wadingo*, ut ibi notatur, in *Script.* ſui Ordinis ita nodum ſecante, ut dicat, primam eorum texturam *Bonaventurae* adſcribendam, incrementum vero et quodcunque in methodo diſcrimen *Davidi de Auguſta* tribuendum.

In calce Codicis legitur: *Explicit arra anime per manus Georji Anno domini.M°.CCCC°.XXIII°. in die ſancti Barnabe apoſtoli.* Tribus itaque diverſis, ut vides, titulis ultimum Opuſculum olim ferebatur; quibus ſupra ex *Cod.* XC. quartum addere poteris. Thecae Codicis interius adglutinata ſunt I. *Literae Guilhelmi* Ep. Anconitani executoris mandati Apoſtolici, quibus poteſtatem facit *Abbati monaſterii in Runa Ord. Ciſt. Salzburg. Dioec.* abſolvendi ab excommunicatione *Jacobum de Ecling* alias dictum *Reichem*, dummodo aſſentiatur *Bertoldus Alber* dictus *Ungherlein* Rector Parochialis Eccleſiae S. Johannis. *Dat. Baſilee clauſtro fratrum predicatorum ſub anno domini milleſimo tricenteſimo octuage* - - (Cetera abſciſſa ſunt, ſed ex anno Pontificatus ſupplendum *octavo*) *lune quarta menſis Novembris Pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri Urbani P. P. VI. predicti. anno decimo.* II. Epiſtola *Alberti* Ducis Auſtriae ad *Ulricum de Walſe* Stiriae Praefectum germanica, qua ei litis compoſitionem inter duos fratres committit. *Der prief iſt geben* (notae chronicae abſciſſae) *nach dem Perchttag*, i. e. poſt. Epiphaniam. III. Conſignatio ſtatus oeconomici Monaſterii Sitticenſis O. Ciſt. in Carniolia, quae incipit: *Anno domini Milleſimo Tricenteſimo Nonageſimo Primo ſexto Idus decembris nos fr. Petrus* Abbas (abſciſſum *de Runa*) *filie noſtre Sitich nobis in criſto dilecte viſitationis impendentes officium* &c.

DCXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 63) Folior. 124. 4. nitide perſcriptus ſequentia continet: I. *Incipit liber qui tractat de forma et modo honeſte et bene vivendi religioſorum. Et primo quantum ad hominem exteriorem reſpectu Nouiciorum Siue Incipiencium. Secundo quantum ad hominem Interiorem reſpectu Profeſſorum. Proficiencium aut eciam Perfectorum* &c. Initium: *Primo ſem-*